



Umschreibung

Ee, 4



N. 59.

OBIIT PRAECLARAE INDOLIS
IVVENIS
PROBVS DOCTVS AC SENILIS PRV-
DENTIAE

IN THERMIS CAROLINIS
VII. KALENDAS IVLIAS MDCCCXXIII.

FRIDERICVS ER-
NESTVS HOFF-
MANNVS

HALA - MAGDEBVRGICVS
LIBERALIVM ARTIVM AC MACHAONIAE ARTIS
CVLTOR EXIMIVS
FILIVS MAGNI PATRIS

^{AC}
TOTO ORBE CELEBERRIMI
FRIDERICI HOFF-
MANNI

MEDICINAE PROFESSORIS ORDINARIJ FACVLTATISQVE SVAE
SENIORIS COLLEGAE NOBIS CONIVNCTISSIMI
AD CVIVS EXEQVIAS SOLENNI RITV IN TEMPLO
ACADEMICO

HORA II. PERAGENDAS

PROCERES FRIDERICIANAE
AC CIVIS

OFFICIOSE ET PERHVMANITER ADVOCAT

Pro-RECTOR

IOANNES HENRICVS MICHAELIS,
S. S. THEOL. D. EIVSQUE ET LINGVAR. ORIENT.
PROFESS. ORDIN.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



ORNT PRACI ARAE INDOLIS
IV VIZIS
PROCTA DOCVS AC SEMUR PRK
DENTIS
IN HIERON CAROLINS

FRIDERICVS ER
NESTVS HOFF
MANNVS

LIBRARIVS ARTIVM AC MECHANICAE ARTIVM
CIVIVS MAGNI PATRIE

TOTO ORBE CELEBRATISSIMO
FRIDERICI HOFF
MANNI

AD HANC EXSTITIT CIVITAS IN TEMPO
ACADEMICO

PROFESSOR PHISICAE

IOANNES HENRICHUS MEYER





Eneæus non annorum multitu-

dine aut temporis diuturnitate continetur; sed in prudentiæ maturitate consistit, quam virtutis amplitudo omni dignitatis genere comitatur. Igitur qui sic discedit a vita, non ante diem obit, nec adolescens existimandus est, sed senex, quia numeros muneris sui rite expleuit. Quem bonorum cumulum cum nunquam negligat DEVS immortalis, iccirco mirandum vix est, ab illo gratiam inuenire iuvenes nulla labis impuritate contaminatos, sed probitati ac vitæ salutari operam dantes, eque malorum colluuiæ liberatos alium in orbem traduci. Posset enim, si in hac vita longiorem lineam efficerent, eorum sensus hominum improborum malitia immutari, & a studio pietatis ad religionis negligentiam, a continentia ad vitiorum & cupiditatum illecebras, aliorum aculeis & fraudibus, pellicis conuertique. Quod ne fieret in FRIDERICO ERNESTO HOFFMANNO, adolescente supra ætatem sapiente ac senili providentia ornatissimo, diuino certe beneficio contigit, eum in ætatis flore, religionis, probitatis ac doctrinæ amore incensum, morbo improviso fuisset extinctum. Cuius vt egregiæ virtutis specimina, inque bonis litteris progressus, breuique tempore collecti gloriæ fructus ante oculos aliis constituuntur, fas esse non solum, sed & publico futurum credimus emolumento. Ac natus is est Halæ Magdeburgicæ c10 1000 v. VI. Idus Ianuarias hora ante solis exortum secunda, Patre FRIDERICO HOFFMANNO, Collegii Medici Seniore ac Professore ordinario, Viro & re & existimatione magno, Potentissimi & prægloriosi Borussiae Regis

gis FRIDERICI Consiliario aulico, & Archiatro excellentissimo, Collega nobis coniunctissimo, cuius gens salutari semper in arte primas tenuit, ita vt MEDICA appellari haud temere queat. MATER multis sui sexus decoribus cumulatiflima ANNA DOROTHEA HERSTELLIA nominatur, cuiusque familia in Hercynio saltu percelebris est ob Parentis in pharmaceutice peritiam singularem, quam in valle Clusina ac Cellensî campo PRINCIPIS sui auctoritate ac iure priuo felici semper successu exercuit. Nomen FRIDERICI ERNESTI defuncto inditum in memoriam maiorum PATRIŒQUE non nouo, sed veteri primariorum hominum exemplo ac more. Ab his radicibus, tanquam bonum germen ortus primam ab ingenio & indole egregia laudem accepit, quam corporis decens habitus, ac filum comitabatur. Accipiebat namque celeriter, quæ tradebantur, custodiebatque in memoria fideliter, quæ audiebat a domesticis Præceptoribus, quorum præstantissimos selegit PARENS, cum Berolini ageret, ac regio iustu nostram linquere academiam cogeretur. Eorum igitur diligentia ac ductu prima PVER litterarum elementa ac religionis principia didicit; atque, vt in labore & studio versari inciperet, numerorum scientiæ operam nauauit, ad disciplinas mathematicas pedetentim sic ducendus, in quas ille magno a natura studio ferebatur, imprimis vbi penicillo, cerussa, aut calamo signanda figura, aut species delineanda memoratiffima. Vnde facile concluditur, cum vberiores hoc in doctrinarum genere profectus indepturum fuisse, si longioris vitæ vsura contigisset, discendi appetitu nunquam non vehementius exardescente. Quam ob rem X. ætatis anno a priuatis magistris in regium Pædagogium, quod Glauchæ floret, non sine maturo consilio CIO IOCC XV. est translatus, vt litterarum humaniorum variarumque artium liberalium scientia pectus impleret, & ad probitatis fastigium, inter diuerŒa pietatis exercitia, ascenderet; cui nihil impernium, nihil difficile, ac nihil denique, quod humana diligentia perficitur, inexpugnabile. Ac dici vix potest, quanta virtutis vis in omnibus eius actionibus eluxerit, quam dictis is fuerit audiens, quantum in latine lingue facultate præstiterit, in geographicis profecerit, in historiarum vtilissimis studiis processerit, ita, vt haud facile fuerit diiudicare, vtrum in illo ingenii lenitas maior, an optimarum rerum cognitio, cum in omnibus progredere perbelles, inesset. Id interea silentio præteriri nequit, eum in frequenti Viroom doctorum ac commilitonum conuentu orationem recitasse a. CIO IOCC XVI. de *Turcarum origine, superstitione & fatis*, eximia sermonis comitate, lepore, venustate, atque mirifica suauitate, qua ita cepit auditores, vt liberalissima de eo augurarentur. Quæ res fecit, vt PATER sapiens obnixè ageret, quo FILIVM ad excellentis eruditionis copiam proueheret; eoque, vt propiore haberet, Viros scholasticæ rei peritissimo M. KRAVLIÏO committeret, qui ingenium docile nouis doctrinarum feminibus adspargeret, illudque insigni cum fœnore ad maiora Musarum negotia prepararet. Atque hic videri etiam nunc ex animi sententia testatur: vix sese meminisse vilius disci-

discipuli, qui tanta grauitate inter sui æquales incesferit, atque a prauiorum conſortio ſeſe ſegregans ad ſolida contenderit, nihil dan lo petulantia, nihil arripiendo, quod animum ab honeſto deicere pro poſito potuiſſet; cuncta potius temporis momenta Romani idiomatis copia conſequenda deſtinans, inque Ciceronem defixus ac Plinium, e quorum fontibus Romana nunc addiſcenda eſt lingua, eorumque ſequacibus, quales ſunt Manutius atque Muretus; cuius poſtremi orationes & epiſtolas ſollicito ſtudio ſemper verſauit. Vnde factum, vt poſteaquam eloquentia, hiftoriarum, ac geographia campum latiffimum eſſet quodammodo emenſus, academicis lectionibus **MDCCXXI**. cepit intereſſe; ita tamen vt domi per trium annorum decurſum elegantiorum litterarum ſtadium præcellentis Medicina Candidati **LICHTENHAHNII**, DOMINI PARENTIS tum temporis domeſtico, iam vero Medico Saxo-Ducali & Phyſico Bitterfeldenſi nec non Sorbicensi, opera, ſedulo excoleret. Probe enim penſitauerat **HOFFMANNVS** Senior, præcipitari plerumque a Parentibus curas, ſi liberos litteris deuotos ab humanioribus Muſis intempetiue abſtrahant, ac ſeuerioribus diſciplinis mancipent, antequam exponere animi ſenſa ſtilo polito atque eruditis familiari apti ſint. Itaque cruda **FILIVM** adſerre noluit ſtudia in ſuperiora auditoria; ſed tum demum in philoſophia, hoc eſt, Logica, Matheſeos, ac Phyſicæ ſcholas intromiſit, cum liberalibus artibus probe intellexeret coctum meditationibusque ſublimioribus accommodum pectus. Quibus in diſciplinis ſicuti a celeberrimi **WOLFFII** ore pependit; ita Medicinam a **GENITORE** auide percepit, ad quam à natura factus videbatur, adeoque in ea reliquæ ætatis induſtriaque conatus non ſine fructu ſperabatur collocare. Saltem id certum, neminem felicius in litteris excellentem, qualem diuino beneficio naſtus eſt **NOSTER**, qui illi chemicos ignes oſtendit, ac viſcera natura aperuit, anatomicum in manus cultrum tradidit, & veram ad cordate ſolideque philoſophandum compendiarium viam præiuit, vt illam hominum conſeruatricem medicinam, vltra vulgares pharmaceuticarum præceptionum regulas, bene perciperet, atque aliquando paternis veſtigis inſiſtens in maius illam, venerabiliuſque faſtigium prouheret. Quod vt tanto certius perficeretur, ante biennium **PATER** cum itineris comitem ad thermas Carolinas habuit, vbi ſos primarie nobilitatis ex variis Teutoniae regionibus conuenerat, vbi ipſa **AVGVSTA**, inuictiſſimi Imperatoris **CAROLI VI CONIVX** indulgentiſſima aderat cum Archiatro ſuo **GARELLI**, Viro in tantum laudando, quantum virtus, eruditio, ac ſumma intelligi humanitas poteſt. Hic **IVVENEM** maiora promittentem in oculis tulit, cum eo ſepe ſermones miſcuit, inambulauit, de plantis earumque virtute diſſeruit, ingenium promptum aliasque animi dotes demiratus illo ſe contentum oſtendit, vt ad manus **AVGVSTISSIMAE** principis ſuæ oculandæ **EVM** laborauerit adducere, niſi propria modieſtia inſignem hunc honorem deprecatus latere adhuc in occulto, quam tot hominum exponi oculis maluiffet. Primo hoc itinere feliciter peracto, in-


que Carolinis thermis animaduersis, quæ singularia sunt, ac notatu digna, aquarumque metallicarum efficiencia tam salutari atque in mendendis corporibus nobili probe cognita, ad pristinos iterum labores se se recepit, vt contenta industria periceret, quæ medica in arte, philosophia aliisque disciplinis peragenda sibi restabant: donec Serenissimus Hassiæ Landgrauus ac Princeps CAROLVS Patrem velut alterum Machaonem ad se arcesleret, consilijs eius vsurus & medicamentis ad recuperandum animi corporisque vigorem. Nam tunc rursus eadem cum PARENTE rheda vectus, non solum itineris incommodis lassum, totus abundans hilaritate, belle recreauit; verum etiam Castellis, quæ sunt stupenda, vtut naturalia, sollicito obtutu circumspexit, ac, quod prorsus erat scopo ADOLESCENTIS conueniens, sectioni humani corporis interfuit, quam experientissimus ac doctissimus Professor WOLFFHARDVS susceperat: nunquam certe otiosus, cum videretur otiosus maxime. Et sicuti cognitum est, Hassiam multis naturæ miraculis abundare; ita perlustratis iisdem ad artificiosa sese contulit, inque PATRIS aliorumque Virorum splendidissimorum societate magnificentissimum opus atque ædificium, quod ALBVM SAXVM appellatur, non sine cura contemplatus, *συνμνησθῆναι* ac competentiam forniceum, columnarum, camerarum, tectorum, ac lapidum coagmentationem eximiam summa diligentia considerauit, institutoque ad architecturæ regulas examine, mirabile inuenit. In quo etsi haud parum iucunditatis sese percepisse non diffitebatur; est tamen obseruatum, non minori EVM desiderio ad libellos suos reuertisse, ac, veteris industriæ curriculo repetito, tam strenue in varias artes incubuisse, vt frænis pæne opus esset ad concitatum in studia impetum cohibendum. Quæ causa fere primaria erat, quare EVM ad Carolinas thermas nuperrime secum iterato duceret prouidentissimus PARENS, optime gnarus, eos, qui nullum tempus vacuum a meditationibus ac seripcionibus haberent, quorumque celeritas atque assiduitas nullo fere remedio retardari possit, ad mortem properare; inque primis FILIO id periculi euenturum, nisi corpus difficili œsophagi compressione coarctatum quadantenus resocillaretur. Etenim aliquot ab hinc annis animaduersum est in DEFUNCTO, difficulter EVM in stomachum esculenta demississe, seseque valde aliquando torhisse, ac si cibus in alienum tramitem decrasset, ita, vt istum in conuenientem locum potu propellere necessum sepius haberet: quod PATREM non solum sollicitum reddidit, sed & magnopere permouit, vt Carolinis aquis hoc malum subigendum existimaret. In quo tantum abest, vt sese deceperit; vt potius œsophagus quasi obice sustentatus ac repressus sese laxare videretur & admittere cibos in stomachum faciliiori modo deferendos: redeunte appetentia, quæ, varijs vtut edulijs propositis, excitari vix poterat antehac. Quare bene omnes cæperunt sperare, maxime cum is sereno cælo spatiaeretur, ac plantas feligeret, & fini suo congruenter in certas classes trecentas, & quod excedit, herbas dispelceret, medicinæ candidati diligenti opera & consortio adiutus. Enimuero defecit paullatim spes, quando IV. Idus Iunias pul-

fus

fus celer ac frequens inualeſcebat ac calor foris & intus acer & pun-
gens animaduertebatur; obſtructaque alio capitis dolores creſce-
bant, corde inſtatius flagrante. Quæ acceſſio eſt pauliſper im-
minuebatur, & ventre ſoluto cibum capiens quietum ſomnum ſubi-
bat; maiori tamen XIV. Kalendas Iulias redire morbus impetu cepit,
frigido horrore inuadente corpus remeanteque æſtu ita aſſi-
gente, vt lecto decumbere æger cogereſt, ſtagnante intra poros
ſudore, vim grauiter nocendi habente. Quocirca, duorum Me-
dicorum conſilio explorato, venæ ſectiōne morbidum exonerare
corpus placuit; quo ſubducto ſanguine leniretur calor, ac, pabu-
lo remoto, ad priſtinum motum redigeretur maſſa immodica viſula-
tione corrupta. Sed primus ſtatim ſanguinis emiſſi adſpectus cir-
cumſtantes propriuſque ſenſus ægrotantem docuit, vltimam Iſſi im-
minere horam omnemque ſollicitudinem eo denique eſſe conner-
tendam, vt de ſtatione ſua glorioſe decederet, qui animi cupiditas
vera in Chriſtum fide perdomare glorioſum ſemper duxerat.
Ceterum non poteſt expectari a nobis, qui in breui tabella mores
nobiliſſimi IUVENIS depingimus, vt, quæ Iſ diſſeruit de morte,
de vita æterna, de beneficiis a Parentibus ſuis acceptis, de grata in
Præceptores mente, ſignate deſcribamus, aut de illius fiducia in
CHRISTVM valide incenſa, de deſiderio exeundi ex hac miſera an-
guſtiarum valle, de cura in egenos, de precibus feruentiſſime
ad DEVM fuſis, de lacrymis ob peccata abortis, de angori-
bus conſcientiæ, de ſolatiis, quæ tum alii adtulere, tum ipſe ſibi
impertiuit, plura recenſeamus; quandoquidem ſatis eſt, recitare
hoc loco, quomodo Iſ vltimum tandem vitæ momentum abſolue-
rit. Cum enim noctes fere duxiſſet inſomnes atque interdum æſtu
variis morbi adſultibus angeretur, cœnit tandem, vt cæleſti
cœna a MEYBRINGIO, Sereniſſimi ANHALTINI PRINCIPIS ca-
ſtrenſi ſacerdote, qui tum forte fortuna in ciuitate ac morituro
commodum aderat, recreatus, nouiſque ſolaminibus erectus con-
ſtanti animo VII. Kalendas Iulias, inter adſtantium ſletus ac ſuſpiria,
paullo ante meridiem animam Deo redderet, annos natus octo ſu-
pra decem ac menſes pæne ſex: PATRE cum mille lacrymis ocu-
los ei claudente extremumque oſculum cum animi ſingultientis ſig-
nificante ſonitu ſigente. Talem exitum habuit niſiſſimus Ad-
oleſcens FRIDERICVS ERNEſTVS HÖFFMANNVS, Medicina
ſtudioſus perſilignens, qui ſe totum religionis ac pietatis operibus
efficaciſſima in ſeruatoreſem fide tradidit, atque templa vera probitate
incitatus frequenter adiuit, liberalitatem in pauperes pro viribus &
facultatibus exercuit, ſacroſancta Chriſti corporis myſteria aſſidue
percepit, Deumque præcipuo cultu ac reuerentia ſemper eſt vene-
ratus; ita vt nullus præterierit dies, quin aliquid perageret laude
& gloria immortalis digniſſimum. Nolite exiſtimare CIVES, de
caſu huius acerbitate eſſe conquerendum nimium; ipſumque DO-
MINVM forte in crimen vocandum, qui à IUVENE optimo mor-
tis

tis impetum non repressisset; & impurissimos homines ad summam senectutem vitam perducere interea concederet. Est enim hæc summi Numinis beneficentia potius ac gratia; dum ornamentis æternitatis magnificentissime iam redundat, & gloria nunquam interitura circumfluit **BEATISSIMVS**; quodque magis admirandum, iurisdictionem ille quandam in Senes consecutus est, quia iusti mortui damnabunt impios; iuventaque virtutis fructum brevis æui spatio consecuta Senum aliquando dementia coarguet, vt qui toto longissimoque vitæ tempore probitatis studium negligentes non didicere feliciter mori. Quare vos potius accingite, vt hora hodie post meridiem **II. funus suauissimi ADOLESCENTIS** frequentes comitemini. Etsi namque lectissimi **PARENTES** corporis exuias superstitioso loco abductas Schnebergæ in Misnia, preces inter & sacras cantiones, summo mane deponi ac tumulo inferri curarunt; hic tamen dies memoriæ tam chari **FILII** recolende solenniter destinatus est, quo virtute perfuncti laus sempiterna, illustris & clarissima cum diuinæ benignitatis admiratione publice explicabitur. Quapropter iterum, vt eatis, rogo. Saltem præibo funus: sequamini. Meretur id officii genus **IUSTI** hominis finis: meretur **PATER** collega nobis coniunctissimus: meretur **HOFFMANNIANA** gens multis meritis in genus humanum, in artem salutarem, in literas & eruditionem omnem cumulatissima. P. P. Halæ Magdeburgicæ **XV. Kalendas Sextiles**

CIO IOCC XXIII.



Ua 933^a

I. 4^o

ULB Halle 3
003 591 591



OBIIT PRAECLARAE INDOLIS
IVVENIS

PROBVS DOCTVS AC SENILIS PRV.
DENTIAE

IN THERMIS CAROLINIS

VII. KALENDAS IVLIAS MDCCCXXIII.

FRIDERICVS ER-
NESTVS HOFF-
ANNVS

MAGDEBVRGICVS
IVM AC MACHAONIAE ARTIS
LATOR EXIMIVS
MAGNI PATRIS

^{AC}
BE CELEBERRIMI
RICI HOFF-
MANNI

S ORDINARII FACVLTATISQVE SVAE
GAE NOBIS CONIVNCTISSIMI
S SOLENNI RITV IN TEMPLO
CADEMICO

II. PERAGENDAS
FRIDERICIANAE

AC CIVES
PERHVMANITER ADVOCAT
O - RECTOR
RICVS MICHAELIS,
SQUE ET LINGVAR. ORIENT.
FESS. ORDIN.

MAGDEBVRGICAE,
NI HENCKELII, Acad. Typogr.

